

1509

*Lex in eos  
qui tributa  
exsolvent  
negligen-  
tius.*

Eas ob res civitate perturbata cum lentius tributa exigerentur, Senatus censuit, ut qui jure comitiorum præditi die sibi præstituta in ærarium non intulissent, eorum nomina comitiis majoribus recitarentur, ut ab universa civitate cognosci posset, qui cives non amantes patriæ essent. quod si ob eam contumeliam alia præstituta die non inferrent, tum vero a Senatu atque a collegiis secretioribus, demum ab omnibus reipublicæ muneribus arceantur; eorum loco alii subrogentur; ipsi ad ferenda suffragia ne admittantur. Hæc tum fuit nobilitati pœna multiplex constituta. Plebi vero id unum, ut in ærarium non inferens, a publicis & ipsa muneribus amoveatur: quæ cum plurima quidem sunt, tum certe etiam perutilia, ut magna pars civium ea se re alat perliberaliter. Eam legem majora comitia primum habita comprobaverunt, acerbitate temporum civium animos frangente, ut quod alias non tulissent, neque unquam latum antea meminissent, tum quidem non perferrent modo impositum patienter, sed ipsi quoque sibi met imponerent perferendum. Lege lata Bergamo literæ venerunt, hostes in oppidi finibus Medelaci castellum magna vi oppugnatum cepisse: omnes qui in eo erant interfecisse: non mulieribus, non infantibus pepercisse: ut civitas perterrefacta, tuendi oppidi auxilium a legatis petat.

*Ductorum  
Venetorum  
ad Abduam  
varia consi-  
lia.*

Interim magna ex parte collecto ab imperatore, Livianoque reipublicæ in Gallia exercitu, ad quem quidem equites Epirotæ perplures modo allati se contulerant, magnæque vi optimorum tormentorum a Valerio adducta, cum de Abdua flumine transeundo sententiæ ab iis, atque ab legatis, & reliquis præfectis dicerentur, Livianus autem magnopere transitum probaret: *Multum enim, si transeant, posse ipsos proficere, nondum collectis hostibus, rege non præsentem, populis adhuc in ambiguo utram sequi partem præstet, constitutis: audacia & celeritate plurima confici, cum sua hostibus consilia impediuntur, ipsis animi augeantur: sed reliquis eam rem non probantibus, quod fines reipublicæ hostibus direptioni, si & ipsi Abduam trans-*